



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 40. Regis Catholici consensus in hasce nuptias, præmissa Pontificis dispensatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1503.

cus testatus esset, se vero virtutum splendore, ac animi dotibus, quibus relicta Filii sui natu majoris conjux emereret, adeo captum esse, ut illam Henrico secundo genito desponsare constituisset; hunc enim obeunte Fratrem suo in Walliæ Principem renunciatum, legem vero, quæ hisce nuptiis obstaret, se sperare eo facilius solvendam, cum Arturus Sponsam suam carnali conjunctione nunquam violasset, ut proin nullum aliud obversetur impedimentum, quam quod *publicæ honestatis* appellare solent, illud tamen dissolvi posse, usu ferme quotidiano comprobatum esset.

## §. XL.

*Regis Catholici consensus in hæc nuptias, præmissa Pontificis dispensatione.*

Rex Catholicus hoc responso ad se delato nuptias ratas habuit, ea tamen lege, ut prius a Pontifice legis gratia fieret, cum autem Emanueli Lusitanæ Regi duas sorores ducere facile antea concessum esset, hinc Ferdinandus fiduciam concepit, Julium quoque secundum Alexandro VI. haud severiorem fore, proin eandem gratiam Regiæ Filiæ concessurum. Hac spe freti ambo Reges Anglus, atque Hispanus die vigesima tertia Junii



Junii foedus inierunt, in quo tamen de Saecul. XVI.  
A.C. 1503.  
conceptis connubii pactis mentio specialis facta non est, sua tamen contulerunt consilia, ut a summo Pontifice concordii voto dispensationem peterent. Ea de re Henricus VII. datis literis Flakstero Equiti Regio Oratori suo negotium dedit, ut juncto Hispaniae Oratoris consilio Julium exoraret, quatenus regias proles impedimenti religione solveret. Summus Pontifex anxiiis animi curis agitatus, aut forte religiosius consuetae normae tenax, Cardinalium, Theologorum, Jurisque Canonici peritorum Congregationem convocavit, atque se praesente discuti praecipit, utrum accedente summi Pontificis dispensatione foeminae liceat successivis nuptiis duos fratres ducere.

§. XLI.

*Dispensationis controversia jussu Pontificis discussa.*

Primi, qui in consilium adhibebantur, in hanc abierunt sententiam: summus Pontifex nec ex plenitudine potestatis suae, quae in aedificationem, non in destructionem data est, in lege divina dispensare potest, ex lege autem divina prohibetur, ne mulier mortui Mariti sui fratri nubat; quippe Deus Judaeis per Moysen hanc legem tradidit: *Qui duxerit uxorem*